



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Perennitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A conscripsi, de mysticis Aegyptiorum literis tibi, si quid hoc ad rem facit, dedicare. In eo continentur Cur-
rus, Sella, & Fulmen. Sella, ut quies demum aliqua laboribus detur tuis, quos ut Rempubl. Christianam
plerisque locis convulsam firmare, bonam orbis partem ambiendo, quaque ubiq; labefacta cerneves, pru-
dentia consilioq; tuo resarciendo, colenti: Currus, in quo doctrinae sapientiaeque tuae sublimitas provebatur.
Fulmen, quod tua sit indicium & claritas & fama. Dicent aliqui, impudenter a me factum, qui de pictu-
ris, de signis, de artificum operibus instituerim cum eo fabulari, quem consiliarium, quem socium, ubi ar-
dua quae res inciderint deliberanda, maximi quique principes sibi ad seiscere contendat: agnosco quidem
hanc culpam, & inepti fecisse profiteor, qui te nugis his obtundere cogitarim: sed mali & a te, & ab aliis
desiderari prudentiam meam, quam nisi hoc qualemcumq; est, fecissem, memoriam, fidem, amorem, cultum
& observantiam officium dentq; ipsum forsitan exquiri.

DE SEDE. CAP. I.

B Summorum Principum ornamenta, insigniaque & multa & varia fuisse, alibi recensuimus, sed nul-
lum unquam sella sublimius, neq; augustius, neq; venerabilius habitum. Reliqua enim ad huma-
nae tantum amplitudinis decus facere videntur, hoc ad divinae propemodum majestatis honores pro-
ximum accedit. Quare minime arbitror me operam elusurum si multa, quae de sella dignitate tradita
sunt a Veteribus, commentarium hoc collecta, si quis hujusmodi rerum cognitione delectetur, in
promiscuo usu fecero, measq; super his lucubrationes studiosis omnibus communicavero.

PERENNITAS. CAP. II.

Porro perennitatis, aeternaeque quietis hieroglyphicum esse sellam, plerisque locis toto opere dispu-
tatum est ex Aegyptiorum Sacerdotum institutis, eoq; praesertim loco, ubi sedentis Cynocephali
significata percurrimus: sic enim eum statuebant, cum Aequinoctii quietem aequalitatemq; descri-
bebant: quae quidem necesse est ibi sit, ubi nihil subsultat quod alterum inquietet, sed omnia firma
stabiliaque in aequilibrio conquiescant. Quinetiam Veteres Deum infantili aetate, utpote unicum, *Cynocephalus*
atq; perpetuum rerum omnium principium nullo conficiendum senio, inter loti arboris ramos con-
quiescere profitebantur: utpote qui divinitatem ex ipso sedentis habitu internocebant, quem nulla
unquam posset inquietatio sollicitare. Numa Pompilius Jovi flaminem assiduam Sacerdotem insti-
tuit, cui praeter alia ornamenta sellam etiam decrevit, & duos illi comites, Martialem & Quirinalem.
Quod vero ad firmitatem attinet, ejusdem Numae praecipuum fuit, ut Post adorationem federent,
boni ominis causa, ut Plutarchus arbitrat, quo scilicet preces esse ratas augurarentur: Religionem
hanc sella super, secuti plurimum sunt Romani Principes. Hinc Macrinus Imp. cum Bassianum An-
toninum inter Divos referri procuraret, tum multa alia, tum praecipue duas etiam statuas sedentes
civilis habitu illi decrevit, Divos eos, ex eo quod federent interpretatus. Nasamones autem, quod
ab obitu ad Deos evolare se arbitrabantur, eo quod fierent Divis ipsis propiores, cum morituri erant,
inter expirandum sedere, ac sedentes etiam sepeliri volebant.

AETERNITAS. CAP. III.

Sellam hanc aeternitatis signum occulta fide perspicimus in numo quodam in quo Romae simula-
crum est in sede cum ancili & inscriptione: ROMAE AETERNITAS, cui scilicet Jupiter apud Virg. fa-
teatur nec metas rerum nec tempora posuisse, sed imperium sine fine decrevisse. Nam & ipsum Ro-
mae vocabulum, nationes nonnullae ex patriae linguae significatione aeternitatem interpretantur. In *Mare. En. t.*
numo cujus inscriptio est: CLOD. SEPT. ALB. AUG. idem simulacrum est sedens dextera genium por-
rigens, lava vero jaculum terrae affigens, cum eadem Aeternitatis inscriptione.

VESTA. CAP. IV.

Eadem aeternitatis significatio effecit, ut & Vesta per sedem exprimeretur, ut sella illi ante omnia *ἢ Ἐστία*
dedicaretur. Itaq; Divis reliquis apud Platonem, Phaedro, duodecim ordinibus domo digressis, ac *ἔν Ἰεῶν*
alatum Jovis curram subsequenteribus, sola Vesta residet domi, eaque ubiq; sedens sculpi & pingi so-
lita. Nam in Caligulae numo gemmata sella sedens, dextera pateram porrigit, sinistra contum terrae *ἢ Ἰοία ἢ Ἐ-*
affigit, cum eadem inscriptione, VESTA. In alio Titi Vespasiani, ipsi eadem sedens cum conto, dexte-
ra genium sustentat: litera, VESTA. In numo hoc inscriptio inferne, in altero superne posita est.

DIVUS.

Ausonius, Ammianus, Marcellinus lib. 15. Alciatus embl. 114. alii, multi Romam Aeternam dixerunt. ἢ Ἐστία ἔν Ἰεῶν ἢ Ἰοία ἢ Ἐστία manet in Deorum domo.

